

05

A

624









76  
IN NOMINE JESU!  
EXERCITATIONUM ETHICARUM  
DISPUTATIO XXIII.

DE

SEMIVIRTUTI-

BUS IN GENERE, ET DE

CONTINENTIA IN SPECIE,

QUAM

P R Æ S E S

M. JOHANNES Deutschman/

Jutrebocensis,

ET RESPONDENS

CHRISTOPHORUS HODDERSEN

OldenburgensisFrisius.

*proponent publicè*

In Auditorio Minori

*Ad diem 26. Martii, Horis Antemerid.*



WITTEBERGÆ

Ex Officinâ JOHANNIS HAKEN.

M. DC. LIII.

76





05 A 624

on levis Strenitas ut et alia Virtutes imperfectae ut fides in eo et ut affectus  
eripiat, dominium, et in eadem sibi usurpat et hoc p. in affectu dominium  
cupit. In eo tenet differens, ut sine repugnantia gratiore ut  
dominium exerceat, id est perfectae in generalis virtuti. Nat. Comp. p. 120

ut mensura et tolerantia imperfecti. Reliquis dicunt: Quia in his appetitibus in vobis videtur  
totum amplexus subiacet: in vobis ratio appetit in vobis sequitur virtutibus c. 1.





I. N. J.

**I**Nter alia sapientissimi *Chilonis* apophthegmata notant auctores etiam illud, quo omnibus & singulis continentiam commendare, & ad ejus exercitium cunctos excitare voluit, dicens: *ἐγκράτειαν ἀσχευε*. Pauca sunt verba, sed sensu plena. Ostendit enim hoc compendio apophthegmate, tum continentiæ necessitatem, tum ejusdem dignitatem, & denique ejus qualitatem. Necessitatem continentiae ex ipso verborum sono & modo conjicere licet. Non hic continentiae studium saltem quovis modo indicare, multo minus illud tantum optare voluit, sed potius idem præcepto aliquo imperare debuit. Non enim res est libertatis, sed necessitatis, continentiam exercere, si modo homines & haberi, & esse velimus. Dignitatem præterea in eo videtur commendare, dum verbis utitur affirmativis. Hæc enim legislatorum omnium, imò ipsius Dei perpetua fuit consuetudo, ut ea, quæ honestatis & dignitatis quendam in se haberent splendorem, affirmativis extarent præceptis: illa vero, quæ ab honestate essent remota, & cum turpitudine quadam conjuncta, negativis scriberentur regulis. Nec ipsa rerum natura aliud videtur postulare, cum bona sint præcipienda, mala vero prohibenda. Affirmativum hic posuit præceptum *Chilon*, rem ergo bonam, honestam & suâ dignitate non carentem proposuit. Qualitas denique continentiae non obscuris lineis nobis depingitur, dum *ἀσχευε* nobis præcipitur. Ea enim, quæ opere sunt exercenda, nec sola mente & speculatione sunt tractanda, practicam habent naturam, earumque perfectio non in nuda *γνώσει*, sed potissimum in praxi consistere dicitur. Practica igitur est continentia, non speculativa; idcirco etiam in practica, non in speculativa Philosophia ejus præcepta sunt exponenda. Hoc cum præsentis nostri sit instituti, præcepta Continentiæ cum Deo & sub Deo breviter exponimus.

A 2

I. Ha-



ab eo, q. in for. aut mente non habuit, ut verum fide cognoscit, et bonum g. sum  
et factib.

omnes virtutes m.  
perfectas q. p. b. s.  
Ex Virtutis g. n. d.

Ex Virtutis acq.  
sitione

3 Ex Virtutis  
perfectio

Ex Virtutis tractatione  
p. subjectorum g. n. d.  
re. & aliis argumentis  
Ex Ethicorum g. n. d.  
s. n. d.

Ab illis virtutibus  
exponendas p. b. s.  
Ex illarum natura.

1. Haecenus eas consideravimus virtutes, quas communiter Perfectas appellare solent Ethici; nunc eas consueto ordine producimus, quas nominant Imperfectas. Has enim dari virtutes in aprico videtur esse positum. Probatur hoc tum ex virtutis genere, quod est habitus, ut supra est probatum: Omnis autem habitus istiusmodi dispositionem praesupponit. Cum igitur imperfectae virtutes sint dispositiones, concessis habitibus concedendae etiam sunt dispositiones. Tum ex virtutis acquisitione. Nullam enim virtutem moralem vel habemus, vel habere possumus, nisi per acquisitionem. Acquisitio autem humana, non a perfectis ad imperfecta, sed contra ab Imperfectis ad perfecta progreditur, quod non tantum ex experientia & inductione perfecta, sed ipsa sana ratione est firmissimum. Cum igitur Virtus Moralis & acquiri debeat, & actu saepius acquiratur, eundem servabit ordinem, ut non simul eodem momento tota existat, sed per suos quosdam gradus ad debitam sibi excellentiam ascendat. Tales autem gradus virtutes sunt imperfectae. Tum ex virtutis perfectione. Duplex enim in virtute requiritur perfectio: altera, per quam virtus producit & perficitur; altera, per quam virtus jam producta & perfecta, in perfecta sua eminentia, existit. Illa est participalis, haec nominalis: illa active, haec vero passive sese habere videtur: illa producit, haec productum: illa causaliter, haec effective considerari potest. Utraque nostram confirmat thesin. Ea enim, qua producit virtus, perfectio, nisi imperfectum quoddam praesupponeret, imperfectum etiam confirmaret & perficeret, nulla vel certe frustra esset. Haec vero cum ipsa sua natura includat perfectionem, eam non, nisi per quandam ab imperfectis ascensionem, obtinuit. Tum ex virtutis tractatione, tum ex subjectorum consideratione, tum ex Ethicorum consensione & aliis argumentis possemus nostram confirmare thesin, si ea sola a nobis tractationem expectaret.

2. Dari virtutes imperfectas, ex allatis est planum; earum autem tractatio & explicatio nondum est confirmata. Imperfectas autem virtutes esse exponendas, patet (1) ex illarum natura. Sunt enim practicae, ut in prooemio est allegatum. Ea autem, quae practica sunt, suam etiam merito tractationem requirunt.

Ut



Ut enim ignoti nulla est cupido, ita multo minus in ignotum suscipitur operatio. (2) Ex harum virtutum statu. Quia I. 7. Eth. I. τῶν σπουδαίων καὶ τῶν ἐπαινετῶν εἶσιν, hoc est, inter res probas & laudabiles sunt reponendæ. τὰ σπουδαῖα verò καὶ ἐπαινετὰ ne utiquam sunt negligenda, sed potius explicanda. Nam ὁ ἐπαινετός est τῆς ἀρετῆς I. Eth. 12. (3) ex harum virtutum ortu. Nam virtutes imperfectæ etiam ex ratione & prudentia oriuntur, quia videmus, quod etiam continens mediocres exercent actiones. Ea autem, quæ ex recta ratione & prudentia oriuntur, potissimum in Ethica sunt explicanda, & qui hanc negligit, nec Ethica præcepta novit, nec Ethicas actiones instituit. (4) ex harum virtutum usu. Deducunt enim nos ad ipsam virtutem perfectam. Qui igitur imperfectas virtutes contemnit, eum etiam virtutes perfectas contemnunt: Qui has negligit imperfectas, ad perfectas nunquam pervenit. Sicut enim, qui media aspernatur, finem legitimo modo nunquam consequitur: sicut qui literas spernit, ad solidam & perfectam eruditionem pervenire nequit; sicut denique, qui viam nec rectam, nec oblique persequitur, nunquam metam scilicet, terminum ad quem, consequitur: eadem penitus ratione, qui has virtutes imperfectas nunquam cognoscit, nunquam colit, ad perfectarum virtutum statum ascendere non poterit. Colere enim non potest eas, qui eas non cognoscit: nec cognoscere illas valet quisquam, nisi certâ methodo, certo etiam in loco tractentur & disponantur.

3. Præterea multa hic possent de his virtutibus imperfectis in genere & allegari & disputari, partim de tractatione applicata, ad hunc scilicet locum: partim de ipsa definitione: partim de divisione: partim de Numero imperfectarum virtutum: partim de aliis tum affectionibus, tum quæstionibus: Verum nostri nunc non est laboris operosè singula generalia inculcare, & juste explicare. Sufficiat igitur nobis hæc unius vel alterius membri tum allegatio, tum explicatio & confirmatio: hæc enim omnia nunc præsupponimus, & potius specialem tractationem instituis.

4. Specialis illa virtutum imperfectarum tractatio à variis autoribus varie proponitur. Nos vero consuetam hic servamus

Σ Ex harum virtutum

3 Ex harum virtutum

4 Ex harum virtutum

specialis virtutum imperfectarum tractatio.



methodum, consuetum etiam retinemus numerum. Duae à ple-  
risque Ethicis allegantur & explicantur virtutes imperfectae, ni-  
mirum Continentia & Tolerantia: easdem etiam nos ordine  
tractabimus. De Continentia praesentem laborem suscipimus,  
de Tolerantia futurum promittimus.

5. De Continentia notamus Definitionem (1) ὀνομαζομένη, quae  
consistit tum in Etymologia, & sic continentia à continendo dicta  
est. Est autem continere, secundum Donaldson. l. 3. c. 12. invitum  
quasi & repugnantem tenere. Respicit igitur haec Etymologia,  
tum hujus virtutis requisitum, nimirum scientiam, siquidem τὸ τε-  
nere praesupponit τὸ scire, cum ea, quae scimus, cō facilius & feli-  
cius tenere queamus. Tum eiusdem fundamentum, nim. ἐυταξίαν  
& rectam rationem, hinc dicitur suos affectus atque cupidita-  
tes continere, optimè ordinare, & secundum rectam rationem  
gubernare, qui continentiam exercet. Tum eiusdem proprium.  
Cum luctā enim operatur vir continens. Velle semper bonum,  
conatus semper rectae rationi consentaneus est, sed ipsum posse  
non semper firmum, nec effectus sibi semper constans est.

6. Tum in Homonymia. Sumitur autem vox Continentiae (1) Te-  
picè. Sic Cicer. in Topic. Continentia vocat defensionis argumenta.  
Quibus autem hoc inquit, qua de re agitur, continetur, haec con-  
continentia dicentur, quasi firmamenta defensionis, quibus sublati de-  
fensio nulla sit. (2) generice. Et sic iterum varia notat (1) habitum,  
per quem cupiditas consilii regitur. Cicer. l. 2. de invent. (2) Ipsam  
Temperantiam, quae tamen alias perfectam virtutem significat in  
cibi, potus & veneris moderatione occupatam. (3) Abstinentiam,  
quae potius propriè species est Temperantiae, & quidem frugali-  
tas in moderato cibo. (4) Virginitatem, quae libidinis affectum  
compescit ac reprimat. Et sic de continentia, deque continen-  
tia dono saepius in Theologia disputari solet. (3) Propriè accipi-  
tur pro semivirtute, quae h. l. explicari solet.

7. Tum in Synonymia. Graecis dicitur ἐυταξία. Latinis dicitur  
Virtus luctans, propterea, quia non constanter, sed cum luctā quā-  
dam voluptates moderatur. Item Temperantia. Haec tamen differt  
à Tēperantia (1) quia Tēperantia est habitus, continentia verò di-  
spolitio. (2) quia Tēperantia est virtus perfecta, cōtinentia est im-  
per

to ὀνομαζομένη  
in Etymo-  
logia

in 138.

in Homonymia  
hoc sumit  
continentia  
Topic.  
genus

in Synonymia

notanda differētia  
Temperantiae



perfecta (3) Temperantia sine lucta, & potius cum delectatione atq; constanter suas actiones exercet. De continentia vero contraria potius sunt vera. (4) continentia etiam dicitur latius patere, quam Temperantia. Ita enim Donald. de discrimine inter abstinentiam, continentiam & temperantiam scribit: Hoc est discrimen (nim. inter hac tria) quod abstinentia proprie ex ciborum moderato usu cernatur; Temperantia latius se extendat, & tam gula, quam Veneri modum praescribat; Continentia adhuc latius omnium sensuum cupiditates, inprimis tamen gustus & tactus regat. (5) quia Contingens ex affectu, temperans vero ex consilio operatur. (6) Temperans versatur circa moderatas, & secundum rectam rationem conformatas voluptates: contingens vero adhuc pravis movetur cupiditatibus, quibus vi quadam resistere, & ratione eas domare conatur.

8. II. πράξις & definitionem post hac ponimus & exponimus: Donaldson. loco cit definit: quod sit virtus imperfecta, qua inordinati affectus omnes, inprimisque alimenti & Veneris, recte rationi reluctantes, invitati subjiciuntur. Velsten. d. 14. th. 64. Continentia est affectio proba, sequens rationem rectam, qua homo se abstinet à voluptatibus repugnante cupiditate. Nobis placet jam illam sequentem in Scholis nostris receptam resolvere: Continentia est dispositio bona, qua voluptates cum lucta quadam superamus.

9. Expositio hujus definitionis ut sit paulo plenior, explicamus (1) Verba (2) Extrema. Illa si consideramus, duo hic deprehendimus: (1) Genus, quod est dispositio. Vox autem dispositionis sumitur h. l. non in sensu Rhetorico, pro altera Rhetorices parte, quâ idoneo partes orationis ad persuadendum ordine collocamus: neque in sensu generico, quatenus etiam habitum includit: neque in sensu Mathematico, quatenus unaquaelibet figura Mathematica suam certam habet dispositionem: neq; in sensu physico, pro dispositione seu affectione merè naturali: sed in sensu pratico, atque Ethico quatenus habitui contra distinguitur, & imperfectam, eamque acquisitam denotat qualitatem.

10. Ne autem ex sola autoritate videamur hoc genus assumere, certas hujus nostri generis ponimus rationes. Quod enim Dispositio sit genus continentiae probatur (1) ex titulo: Dicitur

11. Definitio πρᾶξις

Piccol. c. 12.

Vox dispositio  
modis 10

Quod dispositio  
habet 10



tur aliàs Continentia Virtus imperfecta. Quod autem est im-  
 perfectum, illud perfectum habitum constituere nequit. Erit  
 ergo imperfectum quid, & quidem tale, ut non plane ab habitus  
 naturâ aberret, id quod est dispositio. Dicitur præterea Semi-  
virtus: Semivirtus autem non est integra virtus, sed via ad per-  
 fectam virtutem, talis via itidem vocatur Dispositio. (2) ex re-  
quisitis. Dispositio enim (1) est imperfecta (2) involuntaria. (3) τα-  
χὺ μὴ ἀβιάσασα (4) difficiliter & cum lucta operatur. Hæc o-  
 mnia de continentia sunt verissima. Nam est imperfecta, quia  
 distinguitur à perfecta virtute, nim. Temperantia. Deinde est  
involuntaria, & facile de statu suo movetur; quia continens facile  
 potest fieri incontinens. Est etiam præterea ταχὺ μεταβάλλου-  
σα, quæ celeriter de suo subjecto solet migrare. Difficiliter deni-  
 que & cum lucta exercetur, quia videmus quidem meliora, sæ-  
 pius tamen voluptas nostra mentem solet obscurare, vel diffi-  
 cultatem ad minimum ipsi conciliare. (3) ex definitione Dispositi-  
onis. Definitur illa, quod sit qualitas acquisita, subjecto suo non  
firmiter, id est, leviter inhaerens, qua id ipsum difficiliter adhibet actio-  
nes exercet. Singula hujus definitionis membra verè continen-  
tia conveniunt. (4) ex inductione. Si enim omnes prædica-  
 mentorum classes excutimus, nullum commodius genus, præter  
 Dispositionem,prehendimus. (5) Aut est habitus, aut dispo-  
sitio: (Ratio consequentiæ inde patet, quia virtus qualibet ad  
 primam pertinet qualitatis speciem. Deinde in confesso est, quod  
 continentia sit qualitas, neque tamen est vel naturalis potentia  
 aut impotentia; vel patibilis qualitas aut affectus; vel figura  
 & forma. Ergo ad solam primam speciem est referenda.) Sed  
non est habitus, quia est imperfecta, quia leviter inhaeret, quia  
difficiliter exercetur. Ergo erit dispositio.

2 Ep. reg. 8. 15  
 facile mobilis.

ex definitione dispositio-  
 nis.

inductioe

Differentia communis  
 continentiam  
 i. Ep. Substanto.

II. (2) Differentia, quæ partim est communis, quod sit dispo-  
 sitio bona. Bonam enim esse continentiam probatur (1) ex subie-  
cto, quia in hominibus bonis reperitur, ut Cic. de Pericle refert l.  
 2. Off. Bene, inquit, Pericles, cum haberet in prætura collegam Sophocle  
 Poetam, hique de communi officio convenissent, & casu formosus puer  
 præteriret, dixissetque Sophocles: O puerum pulchrum, Pericle;  
 ait. At enim prætorem, Sophocle, decet, non solum manus, sed oculos



los, abstinentes habere. (2) ex principio: Quia ex recta oritur ratione. Omnia autem, quæ ex recta ratione oriuntur, bona sunt. (3) Ex natura continentia. Quia est & dicitur virtus. Hinc Cicer. l. 5. Ep. 105. ad Att. dicit, *Continentiam esse virtutem, que voluptati resistat*: Et Ovidius Epist. 16.

*Est virtus placitis abstinuisse bonis.*

(4) ex fine: quia nos deducit ad virtutem. Est enim principium, via atque medium, per quod ad virtutem nobis patet aditus. (5) ex usu atque fructu. Nam continentia conservat sanitatem, auget prudentiam atque animi vires, confortat corpus &c: sicut è contra Incontinentiæ vitio & animi & corporis vires languescunt & dissolvuntur. Ita Apollonius apud Stobæum *serm. de continentia* etiam alium allegat usum. Interrogatus enim, quo quis factus opulentus evaderet: *si continens*, inquit, & *cupiditatum fuerit inops*. (6) ex opposito: quia incontinentia est mala, ergo continentia est bona.

12. Partim specialis, quæ desumpta est (1) à Materia. Materiam autem Continentiæ constituunt *voluptates corporis*, ut habet Philos. l. 7. c. 4. allegatur hoc etiam in ipsa definitione, quia in Continentia voluptates superare dicimur. Notandum autem, quod hic solliciti non simus de materia in qua, vel ex qua, sed solam attendimus Materiam circa quam, quæ est vel interna, vel externa. Ut enim omnium virtutum perfectarum objectum in internum & externum distribuitur, eadem prorsus ratione semivirtutes etiam & internam & externam requirunt materiam.

13. Interna iterum est vel prima, vel à prima orta. Prima dicitur ipse cupiendi appetitus, qui circa has voluptates versatur, easdem videndo aut deprehendendo, easdem appetendo atque apprehendo, iisdemque utendo. Ne autem hic appetitus circa tales voluptates possit aberrare, & vel ad excessum, vel ad defectum declinare, hac opus est semivirtute, ut quadantenus observemus mediocritatem, antequam ad perfectam perveniamus virtutem, hasque voluptates rectè & perfectè moderari & mediocriter usurpare queamus.

14. Prima hæc materia rursus subdividitur in primariam &

2 Ex pri

3 Ep. 105

4 Ep. fine

5 Ep. Vsa' ab

6 Ep. gyrog

Diff. specialis  
1 à materia

Materia circa quam  
terna l. 7. c. 4.

Interna iterum  
1 à prima orta

vid. H.

Prima materia  
dividitur in  
et c.



*Principia secundariam.* *Primaria est appetitus*, qui circa voluptates necessarias versatur. Sicut enim voluptates sunt vel *necessariae*, vel *voluntariae*, ut habet *Arist. l. 7. c. 4.* Ita etiam appetitus, qui circa has voluptates versatur, vel est *necessarius*, & *primaria materia* dicitur: vel non *necessarius* & *voluntarius*, qui materia *secundaria* appellatur.

*1. Cibi*  
*2. Potus*  
*3. Venereis*

15. Ut autem hæc eò melius intelligantur, dicimus, quod hic appetitus primarius versetur circa voluptates (1) *Cibi*. Non n. libertatis est cibi usurpatio, ut eo vel utamur, vel non utamur, sed omninò est necessitatis, quia aliàs nostrum non possemus conservare corpus. (2) *potus*. Hunc enim itidem hominibus esse necessarium, probatione haut indigere videtur, quia quemlibet ad potum ducit ipsa natura, nec ullus homo sine potu vivere potest. (3) *Veneris*. Sicut enim illæ voluptates ex cibo & potu ortæ, ad individui conservationem erant penitus necessariae, ita etiam hæ voluptates ad speciei propagationem necessariò requiruntur.

*2. gustus, tactus, visus*

*Secundaria materia*

16. *Secundaria materia est appetitus*, qui *τα ἀπειρά*, ut loquitur Philosophus l. d. appetit. Hæc autem cum multis modis possint variari, etiam appetitus iste diversissimis rebus potest applicari. Est in aliis appetitus honoris; in aliis appetitus gloriæ; in aliis appetitus divitiarum, in aliis appetitus victoriæ, in re grotis appetitus sanitatis: imo prout dantur diversi status, diversa officia & opificia, diversi etiam homines, ita etiam diversissima objecta homines solent appetere.

*1. a prima orta*

17. *Materia à prima orta sunt voluptates corporis*. Ut autem voluptates hæ vel *in genere* considerantur, quatenus omnes sensus, omnes etiam affectus afficere possunt; vel *in specie* determinantur ad duos hosce sensus, nim. *Gustum & Tactum*: Ita etiam huius virtutis objectum, quoad voluptates corporis dicitur vel *generale*, vel *speciale*. Illud est, quod omnes corporis sensus vel actus respicit: *Hoc vero sunt voluptates corporis*, quæ ex gustu & tactu percipiuntur.

*videt res venereas*

*1. a prima orta*

18. *Externa sunt ipsa ῥεσφῆ, ἀποδοσια & alia*, quæ appetitum nostrum possunt excitare, & ad objecta appetibilia applicare, hoc est *objecta appetibilia*. Cum n. objecta, quæ extra nos sunt, moveant



moveant sensus, moveant affectus, etiam externæ materiæ naturam induere videntur. Non autem hæc objecta in se & physice h. l. sunt hujus virtutis materia, sed, uti dictum est, quatenus sunt appetibilia: ita enim appetitus noster illa desiderat & sibi applicat. In qua applicatione & usurpatione ne vel excessus vel defectus committatur, hæc semivirtus primùm appetitum instruit & perficit, usque dum perfectam virtutem exercere queamus,

19. (2) à Forma. Hæc ipsa est mediocritas. Licet enim ejus in definitione nulla explicita fiat mentio, tamen implicite & subintelligitur & tacite insinuatur. Primò enim, cum verba secundum subjectam materiam sint intelligenda, facilè inde colligere possumus, quod mediocritas à continentia non sit excludenda. Est siquidem ea Continentia, quæ ita seipsam, suasque actiones & circumstantias continet, ne ullibi vel excedant, vel deficient, scilicet quatenus est, & manet continentia. Nam alias & hoc est in confesso, quod cum lucta suas voluptates continens moderetur. Deinde cum appelletur Semivirtus, & verè etiam talis sit, quilibet inde videt, quod mediocritas etiam in continentia definitione sit includenda. Licet enim non tanta sit mediocritatis constantia & perfectio, ut in perfectis virtutibus, est tamen mediocritas vera, ob quam semivirtus nuncupatur. Tertio Bonitatis fit mentio in definitione, quia dicitur dispositio bona. Bonitas hic non intelligitur physica, sed Ethica, quia est bonitas acquisita: hæc autem Ethica & acquisita bonitas ubi est, ibi etiam est mediocritas. Quartò ita argumentamur: Quicquid cum lucta bonum est, illud verè bonum est: Atqui Continentia cum lucta bona est: Ergo etiam verè bona est. Item: Q. cum lucta mediocre est, illud etiam veram habet mediocritatem: Atqui continentia cum lucta est mediocris: Ergo etiam veram habet mediocritatem: Atqui continentia cum lucta est mediocris: Ergo etiam veram habet mediocritatem. Quintò: Ubicunque est voluptatum dominium, affectuumque imperium: ibi est mediocritas: Atqui in continentia est voluptatum dominium, affectuumque imperium: Ergo ibi est mediocritas. Major per se patet, ex generali virtutis & mediocritatis natura. Minor ex definitione-

vel. th. 23

Forma q. implicite  
et tacite

Bonitas hic  
ca. d. Eth.



definitione probatur, ubi dicitur, quod in continentia voluptates superemus. Tandem hoc addimus argumentum: Q. habet excessum & defectum, illud est mediocritas. Atqui continentia habet excessum & defectum, ut jam constabit: Ergo etiam est mediocritas.

3<sup>a</sup> à proprio

in continentia  
alibi sit luctus

in continentia  
ut in temperantia

20. (3) à proprio. Hoc est, quod continentia voluptates cum luctu quâdam superet, seu, ut alii loquuntur, repugnante cupiditate. Quod enim talis in Continentia sit lucta, patet (1) ex continentia natura, quia tantum est dispositio. In dispositione autem non semper est perfecta, & sibi semper constans operatio. Ubi hæc inconstantia, ibi etiam quâdam est resistentia (2) ex continentia & Temperantia differentia. Nam in Temperantia quidem, ut in perfecto habitu, perfectus est consensus appetitus & rationis, quia appetitus semper per rectam rationem ad mediocritatem determinatur: sed in continentia, cum nondum ibi talis adsit perfectio, fieri solet, ut inter rationem & appetitum vera sit pugna. Nam ratio illa ostendit & præcipit mediocritatem: sed appetitus, qui videt, sentit & apprehendit voluptates, ob harum jucunditatem, rectæ rationi & honestati sæpius resistit. (3) ex appellatione: Dicitur imperfecta virtus, non quidem ratione materia: quia, ut antea declaratum est, & interna & externa adest materia: neque etiam absolutè ratione forma, quia etiam vera adest mediocritas: sed tum ratione forme comparatè sumptæ, quia non semper adest: quia non ubique adest: quia non ratione omnium objectorum & singularum voluptatum adest: quia cum lucta appetitus & rationis adest.

21. Extrema denique ut subjungamus, dicimus duo hic reperiri, alterum in excessu, alterum in defectu. In excessu peccat Incontinentia, quæ est dispositio mala, qua à voluptatibus etiam inviti superamur. In defectu licet etiam detur aliquod vitium, tamen proprio illud nomine caret, quia ullus vix reperitur homo, qui omnes prorsus contemnat voluptates. Est autem talis defectus, cum quis simpliciter aversatur omnes voluptates, adeo quidem, ut propter honestam etiam voluptatem nihil laude dignum suscipiat.

Extrema

Incontinentia

incontinentia

incontinentia

F I N I S.



05 A 624

ULB Halle 3  
003 761 835



1077


041











76

NE JESU!  
M ETHICARUM  
TIO XXIII.  
E

# RTUTI.

ERE, ET DE

A IN SPECIE,

A M

S E S

ES Deutschman/

ensis,

ONDENS

S HODDERSEN

ensisFrisius.

ublicè

o Minori

*Horis Antemerid.*



ERGÆ

NNIS HAKEN.

LIII.